

habentibus, et tamen illas quæ effectum non habent ordinare debet ad effectus, et consequenter habere voluntatem, ut illi effectus fiant, quantum est ex vi, et ordinatione causarum, licet non quod fiant absolute. Et sic non est otiosum hæc decreta habere conditionata, et voluntatem antecedentem, cum ita necessaria sint ad providentiam universalem, ut vidimus articulo præcedenti, præsertim cum nulla sit voluntas ita pure inefficax, quod non aliquid efficaciam, seu effectus habeat, saltem ordinando sic causas ad effectus non futuros in re. Unde non est imperfecta voluntas inefficax in Deo, quia non est inefficax ex aliquo impedimento, nec retrocedit in volendo, quia ex propria sua ordinatione est quod illi effectus frustrentur propter majus bonum.

XX. Ad primam confirmationem respondetur, quod sicut Deus vult omnes homines salvos fieri, ita vult omnes salvos facere, non a se ipsis, sed a se ipso: sed sicut non vult eos salvos fieri absolute, et adæquate, et in re, ita nec vult illos salvos facere absolute, et simpliciter in re, sed inadæquate, et secundum quid, videlicet quantum est ex parte sua, secundum primariam intentionem, prout scilicet facit illos capaces beatitudinis, et ordinatos ad illam, sub hac præcisione vult illos salvos facere, id est, pro hac parte, et quantum est ex istis meritis non vult illos perdere, sicut dum Deus dat gratiam reprobo, dat illi jus ad gloriam, et vult illi gloriam ut contentam in gratia, non ut in re habendam. Verum quidem est, quod voluntas divina sic respiciens objectum, non sistit in illa præcisione, sed ulterius transit ad decernendum quod de facto ita sit, vel non sit; si enim quoad hoc suspensa maneret, esset imperfecta, et multo magis si esset inefficax illa voluntas ratione frus-

trationis ab extrinseco impediens: sed si voluntas non manet suspensa sed transit ulterius ad decernendum quod fiat vel non fiat, et id quod conditionate vult, ordinando quod non fiat, ex se vult, et non ob aliquod impedimentum extrinsecum, talis respectus ad rem sub statu conditionato nullam imperfectiorem dicit, et vere in voluntate Dei reperitur.

XXI. Ad secundam confirmationem respondetur, quod est magna differentia inter voluntatem antecedentem hominis projicientis merces et Dei volentis salvare omnes, quod voluntas hominis est inefficax propter impedimentum extrinsecum: nam de se potius vellet ille conservare merces, quia impeditur timore periculi vitæ, retrocedit in illa voluntate, et non vult conservare merces, redditurque inefficax voluntas quæ tamen, si tolleretur impedimentum, iterum procederet ad efficaciam suam. At vero voluntas Dei inefficax non habet inefficaciam ratione alicujus impedimenti extrinseci frustrantis illam, quia Dei voluntas a nullo est frustrabilis, sed est inefficax ex propria sua providentia, et dispositione, quia sic convenit fini gubernationis suæ, ut quædam causæ ordinentur ad effectus, et tamen non sortiantur illos. Unde talis inefficax voluntas inefficacitate volita et præintenta, non vero impedita, non retrocederet, et fieret efficax, etiamsi in manu Dei sit illam efficacem reddere, quia potius manus Dei detinet illam, et inefficacem facit, propter convenientiam suæ providentiæ.

XXII. Secundo objicies: Id quod communiter objicere solenti, qui liberum Dei actum in connotatione objecti ad extra constituunt, quia non potest dari libera voluntas Dei, cui non correspondeat aliquis effectus ad extra: per ordinem enim ad

intra actus necessarius et liber idem sunt, distinguitur autem liber per connotationem objecti ad extra, qui est effectus ejus; inefficax autem voluntas, in quantum talis, effectum non habet, quia in hoc consistit ejus inefficacia: ergo non datur in Deo actus liber et inefficax.

Confirmatur, quia Deus habet reprobationem negativam circa aliquos, quia ante prævisionem operum odio habuit Esau, quod utique non salvatur in positiva reprobatione, quæ est voluntas puniendi: hæc enim necessario supponit demerita: ergo in negativa non eligendi ad regnum: cum hac autem non compatitur voluntas salvandi illum, etiam inefficax, et antecedens, quia si Deus habet reprobationem negativam ante prævisionem operum, illam habet ex se, et ut voluntatem antecedentem: ergo illi opponitur alia voluntas etiam antecedens salvandi illum quantum est ex se.

Denique confirmatur, quia Scriptura omnem voluntatem Dei docet impleri, et esse efficacem: ergo male nos dicimus aliquam non impleri, sed esse inefficacem. Antecedens patet ex illo Isai. XLVI: *Consilium meum stabit, et omnis voluntas mea fiet*: et Psal. CXXXIV: *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit*: ergo nulla est voluntas quæ non fiat, nec aliquid volitum quod non sit factum. Ex hoc enim motus est Augustinus ad explicandum locum Pauli quod vult omnes salvos fieri, de voluntate efficaci, intelligendo omnes, non simpliciter, sed pro distributione accommodata, ut postea dicemus, quia scilicet non quædam voluit, et non fecit, sed omni quæcumque voluit fecit, ut dicit in enchiridio, c. xcv.

XXIII. Respondetur jam sæpe nos dixisse articulo præcedenti et disp. IV, agendo de actu libero Dei, quod non requirit necessario connotatio-

nem alicujus effectus realis ad extra, sed sufficit aliquam denominationem vel ordinationem etiam rationis ipsis objectis libere et continenter convenientem, ratione cujus dicatur volitum libere tale objectum sine alia mutatione reali ex parte effectus, neque ex parte actus, quia actus divinus propter suam eminentiam potest immutare realiter, aut denominare objecta libera, sine ulla mutatione sui passiva. Unde voluntas inefficax, licet non habeat effectum ad extra de facto, et extra causas positum, est tamen talis actus in Deo formaliter in ordine ad effectum sub conditione ponendum, quod aliquam denominationem liberam dicit, et in causis existentibus etiam ordinationem, et inclinationem, aut dispositionem ad talem effectum faciendum importare potest, quæ aliquid reale in talibus causis erit, et tunc illa voluntas inefficax erit quoad effectum, sed habebit aliquid efficaciam conjunctum, scilicet sic de facto ordinare, et disponere causas inferiores, licet de facto executuræ non sint, quia hoc ipsum Deus vult, licet in quantum inefficax effectum realem non habeat.

XXIV. Ad confirmationem respondetur, quod ante prævisionem operum fuit reprobatio negativa, quæ intelligi potest per negationem actus, non solum per nolitionem objecti, et tunc potius dicitur non prædestinatio. Fuit etiam reprobatio per modum providentiæ circa exclusionem a regno, et permissionem peccatorum nunquam remittendorum. Et hæc fuit voluntas efficax, et non antecedens tantum, quia fuit per modum providentiæ attingentis finem, et media, ut latius dicemus infra, disputatione decima. Cæterum hæc reprobatio nullatenus repugnat cum illa voluntate antecedenti, et inefficaci volendi salvare hunc reprobum, quia

illa est voluntas salvandi non absolute, et in re, sed quantum est ex parte bonitatis Dei, et ipsius hominis, ut homo est, reprobatio autem illa est voluntas non salvandi illum hominem, attentis circumstantiis divinæ justitiæ, et defectibilitatis humanæ, cui ob suam vertibilitatem connaturale est labi in defectus, etiam æternos, et non remittendos, sicut Angeli lapsi sunt, et homines qui similes esse volunt dæmonibus, non solum in peccando, sed in non pœnitendo, et ad Deum pertinet id permittere ut ad supremum omnium provisorem. Itaque homo ut participat naturam humanam capacem beatitudinis, pro hac parte solum ordinatur ad gloriam: homo autem ut defectibilis etiam permitti potest in defectus æternos cadere, et solum per puram misericordiam sublevabilis, aut præservabilis est, quam Deus non vult de facto omnibus exhibere efficaciter, considerato homine ut defectibili. Et cum dicitur quod illa reprobatio non nascitur ex demeritis præsuppositis, sed ex Deo, et ita contrariaretur voluntati antecedenti salvandi ex se. respondetur non contrariari, quia voluntas salvandi nascitur ex se, hoc est ex præcisa ratione bonitatis; reprobatio autem illa nascitur sub alia ratione, scilicet ex ostensione suæ justitiæ, non ex præcisa communicatione suæ bonitatis, de quo latius infra disputatione decima.

XXV. Ad secundam confirmationem respondetur, quod illa loca Scripturæ et Augustini loquuntur de voluntate Dei simpliciter sumpta, quæ semper impletur, ut docet S. Thomas hac quæstione XIX, art. VI ad I, non de voluntate sub præcissione, et antecedentia. Vel secundo, omnis voluntas Dei fiet, et quæcumque voluit fecit, quia a nullo extra se impeditur, sed si aliqua voluntas Dei non impletur, est quia

hoc ipsum quod est non impleri, ipse vult; et ita sive aliquid fiat, sive non fiat, totum ex voluntate ejus est; cum quo tamen stat quod respectu alicujus voliti sub aliqua præcissione considerari habeat voluntatem ut fiat quantum est ex vi illius objecti, et rationis formalis, et tamen sub alia consideratione velit quod non fiat, et totum hoc ex voluntate ejus est; et sic omnis voluntas Dei simpliciter, et absolute, et sine præcisionibus considerata fit, antecedenter autem, et cum aliqua præcissione considerata non sit.

XXVI. Circa tertium dubium, scilicet circa quid versetur voluntas antecedens Dei, et circa quid versetur consequens, p. Vasquez disp. LXXXIII supra citata, cap. III circa finem, et cap. IV circa principium, ponit pro objecto, seu materia voluntatis antecedentis quidquid ex se solo facit Deus, non sumendo motivum ex parte nostra, seu ex suppositione alicujus actus nostri, sive mali, sive boni. Inter quæ numerat quosdam affectus efficaces, quosdam simplicis complacentiæ: efficaces, ut est vocatio Dei, qua vocat nos, et unde justificatio inchoatur ante omne opus nostrum bonum: hæc enim a solo Deo manant, non ex suppositione alicujus operis nostri: effectus autem simplicis complacentiæ, sicut est illa voluntas salvandi omnes homines, cum de facto non omnes salventur. Et hoc deducitur ex eo quod voluntatem antecedentem dicit Damascenus esse beneplacitum ex ipso Deo emanans, subsequentem autem quod ex nostro opere ortum ducit, seu ex suppositione alicujus operis nostri datur in Deo. Quidquid ergo ex solo Deo est, ad voluntatem antecedentem pertinet, sive efficaciter sit factum sive sola simplicis complacentiæ voluntate habeatur. Ad id ipse Vasquez addi posse tertium

membrum; scilicet voluntatis comitantis, qua Deus efficaciter decernit dare influxum simul cum ipsa voluntate, qui est influxus concomitans ad consensum quem gratiæ præstamus. Alii existimant objectum circa quod versatur voluntas antecedens esse quidquid bonum est in nobis, quorum sufficiens causa in nobis non est, sed ex Dei libertate haberi debet. Et sic etiamsi supponantur actus nostri, et ratione eorum Deus moveatur ad aliquid dandum, tamen si bonum est, ex antecedente Dei voluntate emanat, eo quod Damascenus dicit quod ea quæ in nostro arbitrio consistunt, si bona sunt, Deus primarie vult, et grata habet, idem est autem primarie, quod antecedenter.

Nihilominus consequenter ad ea quæ supra resolvimus, dicendum est ad voluntatem antecedentem, de qua loquitur Damascenus, et explicat D. Thomas, non pertinere, nisi ea quæ ineffaciter sunt volita, ita quod ad effectum principalem, et consummatum non perducuntur, licet verum sit quod voluntas ineffacax, et effectum carens circa unum, habet communiter loquendo annexum aliquid efficacitæ circa aliud; hoc tamen non est de ratione antecedentis voluntatis, vel antecedens est formaliter, sed ratione alicujus ei annexi, et concomitantis quod efficaciam aliquam dicit, eo quod voluntas Dei non potest ab omni effectu, et ordine statuendo abstrahere, si circa res ad hoc universum pertinentes versatur.

XXVII. Prima pars hujus conclusionis constat ex dictis, quia jam supra probavimus voluntatem antecedentem dici illam quæ versatur, seu respicit objectum aliquod secundum se, et bonitatem suam objectivam præcise, non consideratis his quæ consequuntur, et circumstant, non quia Deus eodem actu rea-

li totum hoc non respiciat, sed quia in objecto volito distinguimus diversas rationes, quarum una se habet prius altera, et prout voluntas divina attingit priorem, sub hac præcissione vocamus illam voluntatem antecedentem, id est, priorem et respicientem id quod ex prima intentione Dei sibi convenit. Ergo pro materia et objecto talis voluntatis antecedentis non potest poni aliquid, prout de facto fit, et executioni mandatur, quia prout sic non attenditur aliquid prius et antecedens in ipso volito, sed totum quod in ipso est consideratur: nihil enim amplius est in aliqua re, quam id quod de facto est. Voluntas autem antecedens et consequens distinguuntur, non ex parte actus divini, qui indivisibilis, et simplicissimus est, sed ex parte rei volitæ: ergo oportet quod in illa distinguatur aliquid prius et antecedens, et aliquid posterius seu consequens. Res autem quatenus attacta secundum aliquid prius, et non secundum id quod posterius, et consequens est, non attingitur absolute, sed sub præcissione, quia attingitur solum quantum ad id quod est prius et antecedens, non quoad totum quod in re est de facto, et secundum quod de facto fit: ergo voluntas antecedens, prout talis, non respicit rem de facto, et in executione, sed ineffaciter, et sub præcissione aliqua.

Nec potest dici quod voluntas antecedens, et consequens non versantur circa unum et idem objectum sub prioritate seu antecedentia, et posterioritate seu ratione consequenti, sed circa diversa objecta, quorum unum est prius, et a solo Deo fit ante nostra opera præsupposita, aliud posterius et consecutive, seu post præsuppositionem illorum.

Nam contra est, quia maxime distinguitur a Damasceno voluntas

antecedens, et consequens circa illud objectum, quod dicit Apostolus: *Quia Deus vult omnes homines salvos fieri*: maxime enim propter hoc objectum distinguitur illa duplex voluntas, sed hæc non potest distingui circa diversos homines, quorum unum velit prius salvare, et alium postea, quia dicit quod vult omnes, et sic circa singulos procedit illa distinctio voluntatum: ergo respectu unius et ejusdem objecti distinguitur voluntas antecedens, et consequens: in tali ergo objecto oportet quod antecedens, seu prior voluntas sit cum præcisione, et consequenter cum inefficacitate, nunquam autem efficax dicatur illa, quæ est antecedens, sed solum consequens.

XXVIII. Secunda pars conclusionis, scilicet quod aliquid efficacitatis sit annexum voluntati antecedenti, licet sub formalitate, et consideratione antecedentis inefficax sit, deducitur ex D. Thoma, qui in hoc articulo sexto docet quod, cum voluntas Dei sit universalis causa omnium rerum, impossibile est quod divina voluntas suum effectum non consequatur. Unde quod recedere videretur a divina voluntate secundum unum ordinem relabatur in alium. Sed quod recedit ab uno ordine divinæ voluntatis, non efficaciter illum consequitur, sed de facto non ponitur in illo: ergo si de facto relabatur in alium, habet de facto annexum aliquid efficacitatis, nempe respectu illius quod de facto assequitur. Et probatur hoc inductione, quia inefficax, et antecedens Dei voluntas, vel versatur circa objecta, quæ sunt futura, et contenta in aliquibus causis creatis, et quantum est ex inclinatione, et dispositione earum futura erant; sed ex aliquo impedimento non erunt: vel versatur circa objecta, quæ non sunt contenta in aliquibus causis creatis,

sed extra totum ordinem earum, et in sola voluntate Dei continentur, quæ pro alio ordine rerum disponit de aliquibus futuris, licet illa nunquam futura sint. Si primo modo se habet voluntas antecedens, manifestum est quod saltem habet sibi annexum dare sufficientia auxilia, aut relinquere causas inclinatas, et dispositas ad illum effectum, licet in re futurus non sit; quæ dispositio, et inclinatio causarum, et positio auxiliorum sufficientium aliquid de facto est positum in rerum natura, et sic ab efficaci Dei voluntate descendit; frustratur tamen ille effectus, nec de facto est futurus, et quoad hoc est inefficax voluntas, licet in alium ordinem recidat, in quo impletur de illo id quod Deus vult. Si secundo modo se habet, quod nobis omnino incertum est, an Deus de his, quæ non habent connexionem cum hoc ordine rerum habeat conditionatam voluntatem, et decretum, tamen illo dato, quod non apparet esse Deo impossibile, habet tamen efficacem voluntatem ut illa veritas conditionata pro illo statu et ordine rerum sit determinata in unam partem potius quam in aliam, cum in re contingenti posset ad oppositam determinari. Hæc autem determinatio ex parte objecti, licet nihil producat, tamen denominat objective, et illa denominatio libera est, reddens determinatam illam veritatem contingentem pro illa parte, quæ de se solum indeterminata et indifferens est: ergo talis denominatio non est nuda denominatio possibilitatis, quæ provenit a potentia secundum se, sed proveniens a voluntate libera sic de facto determinante, et decernente, de quo pluribus egimus præcedenti tomo, disputatione vigesima.

XXIX. Ex quo solvitur fundamentum oppositum. Nam quod dicit Damascenus voluntatem anteeden-

tem esse beneplacitum ex Deo emanans, jam supra dicimus quod ly ex ipso emanans non intelligitur solum emanans in executione, sed ly ex se ipso, est idem quod ex se ipso ut motivo, cum præcisione, ita quod sit a Deo, ut ex puro motivo, sub aliqua prioritate, seu antecedentia, ut complacet in aliquo bono creature ex sola participatione bonitatis ejus. Unde cum id quod est emanans, et existens ex Deo, ut ex motivo, seu participatum a bonitate ejus, posset sumi aliquando cum aliqua prioritate, seu antecedentia et præcisione, licet non sub omni alia formalitate, quæ in ipsa re invenitur, aliquando vero possit totum esse a solo Deo, etiam in executione, et cum omnibus ad eam requisitis; ideo aliquando constituitur primaria intentio Dei in voluntate antecedente et inefficaci, quando illa primaria voluntas sumitur cum præcisione, et antecedentia, aliquando vero cum effectu, et executione, sine tali antecedentia, et prioritate, vel præcisione. Et sic stat bene quod antecedens voluntas sit ex Deo emanans, et tamen non sit efficax, quia cum illa præcisione sumitur illa emanatio, scilicet quantum est ex illo motivo. Quod vero addit Vasquez de tertio membro comitantis voluntatis, frivolum est, cum influxus concomitans sit aliquid de facto et in executione positum, et supponens influxum potentia creatæ, cum quo simul procedit influxus Dei, et sic ex nulla parte deest illi quin pertineat ad voluntatem consequentem, non ad tertium membrum distinctum concomitantis voluntatis.

XXX. Ad aliud fundamentum ex aliis verbis Damasceni supra etiam respondimus, quod illa primaria voluntas qua Deus gratum habet omne bonum, etiam quod ex nobis est, non est voluntas antecedens sis-

tens in ipsa antecedentia, et prioritate illius primæ intentionis, qua Deus vult aliquid secundum se bonum, et non ejus existentiam, tunc enim proprie, et cum formalitate est antecedens voluntas, quia in ipsa antecedentia sistit; sed est voluntas primaria, quia ex prima Dei intentione manat, sed non cum præcisione, sed usque ad executionem discurrrens, et non in antecedentia sistens; ideoque primaria est, et tamen consequens, non præcisa et antecedens.

INTELLIGENTIA ILLIUS DICTI: QUI VULT OMNES HOMINES SALVOS FIERI.

Licet multæ tradantur hujus loci explicationes, tamen principale ad duo capita reducuntur.

XXXI. Prima, quod loquatur Apostolus de voluntate antecedente inefficaci, qua vult omnes salvari voluntate quadam generali, et conditionali, videlicet omnibus proponendo salutem, et remedia generali omnibus sufficientia, sicut qui aperit apothecam, omne remedium pro infirmitatibus continentem, et omnibus patentem eam ponit, qui voluerint illa uti, iste omnes vult sanari, quantum est ex vi exhibitionis medicinæ, licet non velit omnibus eam applicare, qui volunt ea uti. Et hæc expositio de voluntate antecedente inefficaci huc usque explicata est, quæ est Damasceni citato loco supra, occasione enim hujus loci, distinxit voluntatem illam antecedentem, et consequentem. Alia explicatio est Augustini, quod loquitur Apostolus de voluntate efficaci, qua vult Deus salvare de facto, sed tunc ly omnes homines non debet sumi secundum distributionem completam, cum constet non omnes de facto salvari, sed cum aliqua restrictione. Quæ res-